

X V.

Quod Hospitali & Religioni Militum S. Joannis Hierosolymitani, habenti Annalia beneficiorum vacantium, accrescant fructus, quos illa obtinentes & non residentes percipere possent.

Joannes Episcopus, Servus Servorum Dei, Magistro & Fratribus Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani.

§. 1. Exhibita nobis ex parte vestra petitio continebat, quod dudum post Constitutionem per nos editam, qua specialiter & expresse cavetur, quod habentes Annalia in Ecclesiis, de consuetudine, privilegio, vel statuto, qui ratione dictorum annalium fructus primi, vel secundi, vel alterius cujuscumque sequentis anni beneficium vacantium ubi hactenus in totum vendicaverant, nihil exinde ultra summam, pro qua unumquodque beneficiorum ipsorum consuevit in decima solutione taxari, pretextu cujusvis privilegii, consuetudinis, vel statuti, quovis modo perciperent, sed ipsius summa perceptione dumtaxat deberent esse contenti, totali residuo predicta obtinentibus beneficia remansuro, nisi forsan illi, qui fructus illos soliti essent cum integritate percipere, mallet ipsam habere residuum, & obtinentibus beneficia dimittere summam memoratam, quo casu percipiendi, quod mallet, erat eis optio derelicta.

§. 2. Quendam aliam declaratoriam Constitutionem fecimus, in qua specialiter cavetur, quod si huiusmodi beneficium obtinentes, in Ecclesia in qua specialiter illud beneficium existeret, minime residerent, ad debitum servitium impendendum, Capitulo ejusdem Ecclesie deberet accrescere, cum cessante causa cessare debeat pariter, quod videbat.

§. 3. Quodque ex verbis declarationis huius satis innui videbatur, quod fructus beneficiorum non residentium accrescere debeant habentibus annalia memorata.

§. 4. Verum ex eo quod in declaratione dicta non continetur expresse de perceptione annalium beneficiorum vacantium vobis debitorum, de predictis consuetudine, privilegio, vel statuto, quo ad fructus non residentium in eisdem, qui vobis accrescere debent, nullum adhuc commodum assequi potueritis, licet, ut praemittitur, dicti fructus Capitulo non accrescant. Quare Nobis humiliter supplicastis, ut quod in huiusmodi declaratione nostra tacite innuitur, declarare expressius dignaremur.

§. 5. Nos itaque petitionem vestram juri consonam estimantes, ac propterea in hac parte quieti & indemnitati vestre providere volentes, presenti oraculo declaramus, quod fructus predictae Ecclesie, vel beneficii vacantis, cujus annalia, in quibus consistunt, debentur vobis ex privilegio, consuetudine, vel statuto, etiam pro ea parte, quae obtinentibus

Causa edende Constitutionis.

præbendam, vel beneficium huiusmodi (si in Ecclesia, ubi illa consistunt personalem residentiam facerent) deberetur, si non resideant ibidem vere, vel interpretative, utpote per speciale privilegium Apostolicum, vel alias ex causa rationabili ab huiusmodi residentia legitime excusentur, cum dicta pars (ut praemittitur) Capitulo non accrescat, vobis, accrescere debet secundum intentionem & mentem declaratorie memoratae. Nulli ergo &c. Datum Avinione, Kal. Martii, Pontif. nostri anno II.

Dat. die 1. Martii 1318. An. II.

X V I.

Divisio Provinciae Tarraconen. in duas, & Erectio Ecclesie Cesaraugustan. in Metropolitanam.

Joannes Episcopus, Servus Servorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, cui super omnes Orbis Ecclesias, & Praelatos earum est a Domino collata potestas, provida deliberatione meliora prospiciens, & saluti animarum intendens, interdum dignitates Ecclesiasticas de novo statuit, honores ascribit, nonnunquam efficit unam ex pluribus, & quandoque in plures unam rationabili consideratione distinguit, ut nec excellentiam dignitatum obnubilet multitudo superflua Praesulum, nec raritas diminuta discrimen pariat animarum.

§. 1. Sane considerantes attentius, quod dum suscepta cura regiminis cor per diversa diverberat, impar quisque invenitur ad singula, quando confusa mente occupatur ad multa: Unde ne in multis sint actus alicujus, sapienter provide prohibet, ne forsan neutrum bene peragat, si ad utrumque festinet: & proinde sedula meditatione pensantes, quod unus Metropolitanus in Tarraconen. Provincia lata, & diffusa quamplurimum sui debitum nequit implere officii, quodque nimis durum est atque difficile in diffusa latitudine tantae Provinciae ad Metropolitanum unicum a tot suffraganeis praesertim spatio magno distantibus, & a tot personis aliis Ecclesiasticis, & Mundanis recursum haberi: Sacrorum insuper sancta Canonum ad memoriam revocantes, qui Episcopales Sedes ita praecipiant ordinari, ut sibi ipsis longo intervallo minime disjungantur Episcopi, quatenus ad consecrationem sui Comprovincialis sine difficultate possint occurrere, & pro aliis, quae in Ecclesiis commodum tractanda fuerint, facile convenire: praemissis aliis suadentibus iustis causis, ex certa nostra scientia de Fratrum nostrorum consilio, & Apostolica plenitudine potestatis, ac de Venerabilis Fratris nostri Eximii Archiepiscopi Tarraconen. assensu ad laudem Dei, exaltationem, & decorem Ecclesie, Fidei huiusque salutem praedictam Tarraconen. Provinciam in duas Provincias Apostolica auctoritate dividimus, ut tantum onus partitum

Quibus de causis dividenda sit Tarraconen. Provincia.

Sanctio, de qua in rubrica.

in duas, quod per unum procul dubio comode portari non posset, levius feratur ab illis: Ita videlicet, quod praeter Tarraconen. Ecclesiam, quae Metropolis remanebit, suam distinctam Provinciam, ut sequitur habitura Cesaraugustan. Ecclesia ipsius Tarraconen. huc usque suffraganea, quam & totam ejus Diocesim ab omni jurisdictione potestate, & subjectione Archiepiscopi Capituli, & ejusdem Ecclesie Tarraconen. prorsus eximimus, ac honoribus, & insigniis Sedis Metropolitanicae decoramus, ex nunc in perpetuum habeatur pro Metropolitana Ecclesia, certam habitura Provinciam, ut infra describitur, ipsiusque Praesul Archiepiscopus censetur: volentes ac decernentes de Fratrum ipsorum consilio, & praedictae plenitudine potestatis, quod Tarraconen. Metropolis, quae solemniori statu, & conditione potiori praesulget, & propter antiquam nobilitatem ipsius est honorabilis, & favorabilis prosequenda Barchinonen., Illerden., Gerunden., Dertusen., Vicen., Urgellen., & Valentin. Ecclesie, tanquam sibi adjacentes habilis pro suffraganeis & de sua Provincia juxta solitum debeant remanere.

Erectio Metropolitanae Cesaraugustan.

Ecclesie suffraganeae Metropolis Tarraconen.

§. 2. Et quia dignum, est, ut Cesaraugustan. Metropolis, ex quo de Filia facta mater Metropolitanicae Dignitatis suscepit insignia, suffraganeorum congruum numerum Filiarum ac decentem Provinciam habeat, ut ad Archiepiscopi Cesaraugustan. iudicium omnes causae suffraganeorum Episcoporum, & personarum Ecclesiasticarum, ac Civitatum ejusdem Provinciae juxta Sacrorum statuta Canonum referantur, Nos Oicen., Tirasonen., Pamplonen., & Calaguritan., Ecclesias suffraganeas quondam praedictae Tarraconen. Ecclesie, quas cum earum Diocesibus, Collegiis, seu Capitulis a jurisdictione, potestate, & subjectione quacumque Archiepiscopi, Capituli, & Ecclesie Tarraconen., & Ordinariarum aliorum quorumlibet, quibus subiectae fuerant hactenus, eximimus penitus auctoritate praesentium, ipsius Ecclesie Cesaraugustanae suffraganeas, ac de Provincia Cesaraugustan. in perpetuum fore decernimus, & cum suis Diocesibus Metropolitanico jure subijcimus, & subiectas esse volumus eas illi de praedictorum consilio, & plenitudine potestatis.

Aliaeque Cesaraugustan.

§. 3. Porro Cathedralis Ecclesiam sanctae Mariae Albarresin. sitam in Finibus Regni Aragoniae, de cujus subjectione praedictus Tarraconen., & Venerabilis Frater noster Toletan. Archiepiscopi diutius contendisse feruntur, cum sit eidem Cesaraugustan. Metropoli plurimum adjacens, ex nunc ab ipsorum Archiepiscoporum, necnon Capitulorum, & Ecclesiarum Toletan., & Tarraconen. jurisdictione, subjectione, ac potestate qualibet, de praedictorum consilio, & plenitudine potestatis eximimus, eamque similiter suffraganeam Cesaraugustan. Ecclesie, ac de Cesaraugustan. Provincia esse decernimus ac subijcimus Metropolitanico jure: sibi praedicta contentione seu litigio nequaquam obstante.

Cui subijcitur quoque Ecclesia S. Mariae Albarresin.

§. 4. Hec igitur &c.

Da-

Ac nova erigantur Ecclesia.

Obstantium derogatio.

Redditus utriusque Ecclesie assignati.

Dat. die 25. Febr. 1318. P. An. II.

1318.
Dat. die 17.
Julii 1318, P.
Ann. II.

Datum Avenioni quinto decimo Kalendas Augusti Pontificatus Nostri Anno II.

XVII.

De Lectorum ad Studium Perusinum admisione, & Scholarium promotione ad Doctoratum.

Hoc Studium crevit Clemens V. ut sup. in ejus Const. II. fol. 165.

Joannes Episcopus, Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter ceteras curas, quas nobis ex in- juncto divinitus Apostolatus officio imminere conspiciamus, & desideria cuncta, in quibus iugi meditatione versamur, ad illa precipue affectus noster dirigitur, nostraque mentis intentio ardentius incitatur, ut Catholicae fidei professores, quos verae fidei verum lumen illuminat, gloriosa litterarum scientia imbuantur, & efficiantur laudabilis sapientiae studiis eroditi. Hujusmodi enim donum impre- tiabile pretio nullo conceditur, sed divinitus animabus benevolis indulgetur. Hujusmodi de- siderabilis est, & gloriosa possessio, per quam pelluntur ignorantiae tenebrae, ac erroris fun- ditus eliminata caligine, studentium com- mendanda solertia, suos actus & opera dispo- nit & ordinat in lumine veritatis. Ob hoc igitur magno (nec mirum) desiderio duci- mur, ut litterarum studia, in quibus marga- rita scientiae reperitur, laudanda ubilibet in- crementa suscipiant, & propensius invalescant, in illis praesertim locis, quae ad multiplican- da doctrinae semina, & germina salutaria pro- ducenda, idonea & commoda dignoscantur.

Hae Accade- mia a Cle- mente V. cre- ta.

§. 1. Cum igitur fel. rec. Clemens Papa V. praedecessor noster, attendens fidei purita- tem & devotionem eximiam, quam Civitas Perusina Ecclesiae Romanae immediate subje- cta, ab olim ad ipsam Ecclesiam successione temporum de bono in melius studuerat aug- mentare, dignum duxit & aequitati consonum existimavit, ut Civitatem eandem, quam divina gratia, multarum praerogativa boni- tatum & foecunditate virtutum gratiose do- tavit, scientiarum etiam muneribus amplia- ret, & ut favente Deo ex Civitate produce- rentur viri scientia pollentes, auctoritate Apostolica statuit, ut in Civitate praedicta esset Studium generale, illudque vigeret ibi- dem perpetuis futuris temporibus in qualibet facultate, prout in Apost. literis praedecesso- ris ejusdem exinde confectis plenius dicitur contineri.

§. 2. Nos igitur Civitatem eandem pro- pter suae devotionis insignia, quibus se Apo- stolicae Sedis gratia dignam reddit, uberius dono gratiae prosequi cupientes, eorum suppli- cationibus inclinati, auctoritate Apostolica de Fratrum nostrorum consilio.

§. 3. Venerabili fratri nostro Episcopo Pe- rusino & successoribus ejus Episcopis Perusi- nis, qui erunt pro tempore, impertiendi per- sonis ad hoc idoneis docendi licentiam juxta infra scriptum modum liberam concedimus facultatem, auctoritate praedicta tenore praesentium statuente; Ut si qui processu tem- poris fuerint, qui sibi in eodem Studio docen- di licentiam, ut alios erudire valeant pete- rint impertiri, in Jure canonico, & civili examinari possint ibidem, & in eisdem facul- tatibus dumtaxat titulo Magisterii decorari.

Perusino Epi- scopo data facultas Lec- tores admittendi.

§. 4. Et ut quotiens aliqui fuerint promovendi, praesententur eidem Episcopo qui pro tempo- re fuerit, vel ei quem ad hoc dictus Episcopus duxerit deputandum, qui Magistris facultatis il- lius, in qua examinatio fuerit facienda, tam Re- gentibus quam non Regentibus quinque vel quatuor ad minus in eodem Studio praesentibus convocatis, eos gratis & difficultate quacumque sublata, in dictorum Magistrorum praesentia, de scientia, facundia, modo legendi, & aliis, quae in promovendis ad Doctoratus sui Magistratus officium requiruntur, examinare studeant dili- gentius.

Et Promo- vendos sta- minandi.

§. 5. Nullum tamen qui doctorari pete- rit in Jure civili ad hujusmodi examinationem admittat, nisi qui ad minus sex an- nis civilia Jura audierit, & duobus saltem ex eis illa in aliquo Studio generali, ac In- stitutionem, vel duos Digestorum vel Codicis libros publice legit in eadem, Uno eorum saltem perlecto in Perusino Studio, in quo fuerit doctorandus. Nullum etiam, qui doctorari petierit in Jure Canonico, ad hu- jusmodi examinationem recipiant, nisi quin- que annis canonica Jura audierit, ex quibus saltem duobus illa similiter in eodem Studio generali, ac duos vel unum Decretalium librum publice legerint in Perusino, in quo fuerit magistrandus. In praedictorum vero duorum annorum numero, tam in Jure canonico, quam in civili illud tempus, quod hu- jusmodi doctorandi extraordinarie publice aliis legendo, illosque docendo, publice etiam non audiendo expenderit in aliquo studio gene- rali, volumus computari, & proinde haberi ac si per illud audiendo dictorum Jurium gene- rali Studio instituisent, & illos quos ido- neos reperient, petito secrete Magistrorum eorumdem consilio, quod utique consilium fideliter teneantur impendere, quod etiam in ipsorum consilientium dispendium vel ja- cturam revelari quomodolibet districtius pro- hibemus, approbet, & admittat, eisque peti- tam licentiam largiatur. Alios minus idoneos penitus repellendo, postpositis omnino gratia, odio, vel favore.

Ac Lectorum sub certis le- gibus conce- dendi.

§. 6. Illi autem qui in Civitate praefata examinati & approbati fuerint, ac docendi licentiam obtinuerint, ut est dictum, ex tunc absque examinatione vel approbatione alia, legendi, & docendi ubique plenam habeant fa- cultatem, nec a quoquam valeant prohiberi.

Lectorum Privilegia.

§. 7. Verum ut rite in praefatis examina- tionibus procedatur, praecipimus, ut dictus Episcopus, praepositis tantum, sed non tactis Evangelii, juret fideliter se personis quae per

Modus Sacra- menti ab eodem Episcopo praestandi.

62A-

examinationem hujusmodi reperta fuerint ido- nea, hujusmodi licentiam impertiri, & quod personaliter non per Vicarium vel substitutum examinationi hujusmodi debeat interesse, nisi esset ex aliqua rationabili causa adeo im- peditus, quod suam non posset examinationi praedictae personalem praesentiam exhibere, in quo casu eidem Episcopo interessendi exami- nationi hujusmodi per Vicarium vel alium, ad hoc idoneum substitutum, tenore praesentium indulgemus. Et quod nemini hujusmo- di impertiatur licentiam, nisi ei quem om- nis vel major pars Doctorum, qui hujusmodi examinationi intererint, approbaverint.

Juramentum simile emittendum a Magistris.

§. 8. Magistri quoque in dicta Civitate praesentes sive actu legant sive non, qui ad examinationem hujusmodi fuerint convocandi, semel praesentent publice Juramentum, quod isti vocati ad eandem examinationem veni- ent; nisi fuerint legitime impediti, & gra- tis dabunt examinationis, fidele consilium, qui de hujusmodi examinatis, vel ut digni appro- bari debeant, aut minus digni merito repro- bari. Qui vero juramentum hujusmodi praes- tare noluverit, nec ad legendum, nec ad ex- aminationes easdem ullatenus admittatur.

Puncta examinandis dan- da.

§. 9. Modus autem supra scriptus in hu- jusmodi examinatione servetur, nam licen- tiando in Jure canonico assignentur puncta de mane, videlicet unum Decretum, & unica Decretalis; licentiando etiam in Jure civili, puncta hora praedicta similiter assignentur. Videlicet una lex in Digesto veteri, & altera in Codice per Doctores, super quibus dicti li- centiandi examen fuerint subituri. Idem vero Doctores ad mandatum ejusdem Episcopi, circa Vesperas hora debita super praedictis pun- ctis, subiciantur licentiandum examini; & tam circa examen hujusmodi, quod fiet in secreto, quam circa examinationem publicam, cetera observent quae in similibus consueverunt in Bo- noniensi Studio observari. Nulli ergo, &c.

Dat. die 1. Augusti 1318. An. II.

Dat. Avinione, Kal. Augusti, Pont. nostri Anno II.

XVIII.

Ordinatio Studii in Urbe, ejusque Privi- legiorum confirmatio.

Hujusmodi Accademiam instituit Bonifa- cius VIII. Const. XX. superius pag. 100.

Joannes Episcopus Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Dignum duximus & debitum quodam- modo arbitramur, ut Urbem Urbium peculiarem Romanae Ecclesiae Filiam praecunctis Orbis Urbibus dignitatis titulis praesulgentem in iis praecipue congruis prosequa- mur favoribus, & praecipuis gratis attolla- mus, quae non solum ejus laudis super cete- ris studiorum causa confluentibus ad eandem praebant proficiendi desiderium & querendae sapientiae inductivum: hujusmodi enim donum impretiabile pretio nullo conceditur, sed di- vinitus animabus benevolis indulgetur: hujus- modi desiderabilis est gloriosa possessio, per Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

quam pelluntur ignorantiae tenebrae, ac er- roris funditus eliminata caligine studentium, commendanda solertia suos actus disponit & ordinat in lumine veritatis. Ob hoc igitur magno, nec mirum, desiderio ducimur, ut Li- terarum studia, in quibus Margarita scientiae reperitur, laudanda ubilibet incrementa sus- cipiant, & propensius invalescant; sed in Urbe praecipue, quae ad multiplicanda doctri- nae semina, & germina salutaria producenda multipharia idonea & accomoda reperitur.

Studium in Urbe institu- tum a Bonifa- cio VIII.

§. 1. Cum igitur felicitis recordationis Bo- nifacius Papa Octavus Praedecessor noster at- tendens fidei puritatem, & devotionem exi- miam, quibus praedicta Urbs erga Romanam Ecclesiam ab olim claruisse dignoscitur, & quod illas ad dictam Ecclesiam tanquam ejus praedilecta & inclita Filia successione tempo- rum de bono in melius studuerat augmen- tare, ut ex Civitate ipsa favente Deo produ- cerentur Viri scientia prepollentes, auctori- tate Apostolica statuerit, ut ibidem esset stu- dium generale, idque vigeret ibidem perpetuis futuris temporibus, praesertim in facul- tibus Juris Canonici & civilis, prout in Apo- stolice Literis Praedecessoris ejusdem plenius continetur; Nos Urbem eandem propter praemissa suae devotionis insignia uberius dono gratiae prosequi cupientes, auctoritate Apo- stolica de Fratrum nostrorum consilio Vicario nostro in dicta Urbe in spiritualibus, qui nunc est, & pro tempore erit, impertiendi Per- sonis ad hoc idoneis docendi licentiam juxta infra scriptum modum liberam concedimus facultatem, auctoritate praedicta, tenore praesentium statuente, ut si qui processu tempo- ris fuerint, qui sibi in eodem Studio docendi licentiam, ut alios luculentius erudire valeant, petierint, impertiri, in Jure Canonico & Ci- vili examinari possint ibidem, & in eisdem facultatibus dumtaxat titulo Magisterii deco- rari: & ut quotiens aliqui fuerint promovendi, praesententur eidem Vicario, qui pro tempo- re fuerit, vel ei, quem ad hoc Vicarius duxerit deputandum: qui Magistris facultatis illius, in qua examinatio fuerit facienda, tam regentibus, quam non regentibus quinque vel quatuor ad minus in eodem studio praesenti- bus convocatis, eos gratis & difficultate qua- cumque sublata in dictorum Magistrorum praesentiam de scientia, facundia, modo le- gendi, & aliis, quae in promovendis ad Do- ctoratus seu Magistratus officium requiruntur, examinare studeant diligenter: nullum tamen, qui doctorari petierit in Jure civili ad hu- jusmodi examinationem admittat, nisi qui ad minus sex annis civilia iura audierit, & duo- bus saltem & eis illam in aliquo studio gene- rali ac Institutionum vel duos Digestorum vel Codicis Libros publice legit in eodem: Uno eorum saltem perlecto in Romano studio, quo fuerit doctorandus.

De Magisterii titulo & lau- rea decoran- dis.

§. 2. Nullum etiam qui doctorari pete- rit in Jure canonico hujusmodi examinatio- nem recipiat, nisi quinque annis canonica iura audierit, ex quibus saltem duobus illa similiter in aliquo studio generali, ac duos vel unum Decretalium Librorum publice le- gerit

Lectorum leges.

Y

crit in Romano, in quo fuerit magistrandus.

§. 3. In predictorum vero duorum annorum numero tam in Jure Canonico, quam in Civili id temporis, quod hujusmodi doctorandi extraordinarie, publice aliis legendo, illosque docendo publice etiam non audiendo expendunt in aliquo studio generali Volumus computari, & perinde haberi, ac si per illud audiendo dictorum iurium generali studio instruisset & illos, quos idoneos repererit, petito secreta Magistrorum eorumdem consilio: quod utique consilium fideliter teneantur impendere, quod etiam in ipsorum consuetudine, dispendium vel iacturam revelari a quolibet districtius prohibemus, approbet & admittat: eisque petita licentiam largiatur: alios minus idoneos nullatenus admittendo: postpositis omnino gratia, odio, vel timore, favore.

Licentiarum laurearumque Privilegia.

§. 4. Illi autem qui in Civitate prefata, examinati, & approbati fuerint, ac docendi licentiam obtulerint, ut est dictum, ex tunc absque examinatione, vel approbatione alia regendi & docendi ubique plenam habeant facultatem, nec a quoquam valeant prohiberi.

Conditio, ac circumstantie examinis.

§. 5. Sane ut rite in prefatis examinationibus procedatur, precipimus, ut dictus Vicarius propositis tantum, sed non tactis Evangelis juret, fideliter se personis, quae per examinationem hujusmodi reperte fuerint idoneae, hujusmodi licentiam impartiri, & quod personaliter non per Vicarium vel substitutum examinationi hujusmodi debeat interesse, nisi esset ex aliqua rationabili causa adeo impeditus (super quo ejus conscientiam oneramus,) quod suam non posset examinationi predictae personalem praesentiam exhibere: in quo casu eidem Vicario interessendi examinationi hujusmodi per alium ad hoc idoneum substitutum, quod tactis Sacrosanctis Evangelis praestare juramentum simile teneatur, tenore praesentium indulgemus: & quod nemini hujusmodi impertietur licentiam, nisi ei, quem omnes vel major pars Doctorum, qui hujusmodi examinationi intererunt, approbaverint.

§. 6. Magistri quoque in dicta Urbe praesentes, sive actu legant, sive non, qui ad examinationem hujusmodi fuerint convocandi, semel praesent publice juramentum, quod ipsi vocati ad easdem examinationes venient, nisi fuerint legitime impediti, & gratis dabunt examinatorum fidele consilium, qui de hujusmodi examinatis velut digni approbari debeant aut minus digni merito non admitti. Qui vero hujusmodi juramentum praestare noluerint, nec ad legendum nec ad examinationes easdem ullatenus admittantur.

Puncta pro licentiantibus.

§. 7. Modus autem subscriptus in hujusmodi examinatione servetur quoque in licentiantibus. Nam licentiantibus in Jure Canonico assignentur puncta de mane, videlicet unum decretum & unica decretalis; Licentiantibus etiam in Jure Civili puncta hora praedicta, similiter assignentur una lex videlicet in digesto veteri & altera in Codice per Doctores,

super quibus dicti licentiantibus examen fuerint subituri: iidem vero Doctores ad mandatum ejusdem Vicarii hora competenti post nonam ejusdem diei super praedictis punctis subicient licentiantibus examini, & tam circa examen hujusmodi, quod sit in secreto, quam circa examinationem publicam caetera observent, quae in similibus consueverint in Bononiensi studio observari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis, statuti, voluntatis, prohibitionis, & praeccepti infringere &c.

Datum Avenioni Kalendas Augusti Pontificatus nostri anno II.

Dat. die annoque eodem.

X I X.

Tutellensis Ecclesiae divisio a Lemovicensi, & novi Episcopatus Erectio, cum Diocesis, Capituli, & Mensae assignatione.

Ex Gall. Christ. n. r. Tom. II.

Joannes Episcopus, Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Salvator noster &c.

§. 1. Sane considerantes attentius, & intra pectoris claustra meditatione sollicita revolventes, quod in tanta multitudine populi, quanta fecundavit Altissimum Civitatem, & Dioecesim Lemovicensem singulorum vultus nequibat, ut concederet unicuique Pastorem, aut alias partes boni Pastoris implere, quodque durum erat, atque difficile in eadem Dioecesi, quae lata, & diffusa existit, ad unicum tantum a tot personis Ecclesiasticis, & mundanis recursum haberi.

Divisionis, noveque erectionis causa.

§. 2. Nos cultum augere divinum, & Spiritualem animarum profectum, quem ex scriptis indubie provenire speramus, promovere salubriter intendentes, praemissis, & aliis suadentibus iustis causis cum Fratribus nostris habitis super hoc diligenti tractatu de ipsorum consilio ex certa nostra scientia, ac Apostolica plenitudine potestatis, ad laudem Dei, & exaltationem Ecclesiae fideliumque salutem Lemovicensem Dioecesim auctoritate Apostolica dividimus in duas Dioeceses, quas pro certo distingui limite faciemus volentes, ac etiam decernentes auctoritate praedicta de Fratrum eorumdem consilio, & praedictae plenitudine potestatis, quod praeter Civitatem Lemovicensem, quae suam propriam, & distinctam habeat Dioecesim certis finibus limitandam, Villa Tutellensis dictae olim Dioecesis, quam veluti ad hoc convenientem, & accommodam eadem auctoritate in Civitatem erigimus, & civitatis vocabulo insignimus separatam dioecesim habeat a dioecesi remansura Civitati Lemovicensi certis limitibus distinguendam: quodque Ecclesia quondam Monasterii Tutellensis Ordinis Sancti Benedicti Civitatis ejusdem sit de caetero, & habeatur perpetuo Ecclesia Cathedralis, ipsa, & Civitate praedicta Tutellensi cum suis Capitulo ac Dioecesi per nos, ut praemittitur, limitanda ab omni iurisdictione, Dominio, & potestate.

Divisio ac erectio, de quibus in Rubrica.

testate, ac Superioritate Episcopi Capituli, & Lemovicensis Ecclesiae remanentibus omnino liberis, & exemptis, nullo praedictis Lemovicensi, Superioritatis, aut majoritatis titulo in Ecclesia, Civitate Tutellensi cum suis Capitulo, & Dioecesi quomodolibet remanente.

Datum Avinionis idus Augusti Pontificatus nostri anno II.

Dat. die 13. Augusti 1319. Ann. II.

X X.

Ex Regest. in Archiv. Vat.

Institutio Militiae Jesu Christi in Regnis Portugalliae, & Algarbiorum sub regulari observantia Ordinis Militiae de Calatrava, ejusdemque Ordinis assignatio prima Domus facta per Regem in Castro de Marino Silven. Dioecesis.

Joannes Episcopus Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Esordium.

Ad ea, ex quibus cultus augetur divinus, Fidelium quies in quiete proficiat, & defensionis munus & Vallum fidei inexterminabile adversus incursum infidelium hostium opponatur, adhibemus plenius affectibus sollicitudinis nostrae curas.

Templariis suppressio Ordinis.

§. 1. Sane dudum felicis recordationis Clementis Papa Quintus Praedecessor noster quondam Ordinem Militiae Templi Hierosolymitani ex certis rationabilibus causis, ejusque statum, habitum, ac nomen in Concilio Viennensi eodem approbante Concilio irrefragabili & perpetuo valitura subtulit sanctione, illud perpetuae prohibitioni supponens, ac districtius inhibens, ne quis dictum Ordinem, vel habitum ejus suscipere, seu deferre, vel pro Templario se gerere quomodolibet attemptaret, bonis omnibus dicti Ordinis Apostolicae Sedis ordinationi specialiter reservatis: dictusque Praedecessor attendens, quod dilecti Filii Magister & Fratres Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani Fidei Orthodoxae Cultores, industrii, & Christianae Religionis in trasmarinis praecipue partibus strenui defensores pro defensione illarum Partium & recuperatione Terrae Sanctae ducebant, sicut & ducunt, pericula quolibet in contemptum, post deliberationem super hoc cum Fratribus suis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, nec non Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Praelatis aliis, & nonnullis Principibus, & illustribus viris, nec non Praelatorum absentium, Capitulorumque, atque Conventuum, Ecclesiarum, & Monasteriorum Procuratoribus tunc in dicto Concilio constitutis praehabita diligentem, omnia bona dicti quondam Ordinis Templi, quae idem Ordo tempore, quo Magister, & nonnulli ex Fratribus dicti quondam Ordinis in Regno Franciae communiter capti fuerunt, videlicet Anno Domini Milleesimo Trecentesimo octavo Mense Octobris per se, vel quoscumque alios habebat, tenebat, & possidebat ubilibet, vel ad dictum Ordinem, ipsosque Magistrum, &

Ejusque bonis Ordini S. Joannis Hierosolym. donatis, excois iis que in Regnis Castellae, Aragonum, Portugalliae, Majoricarum, & Franciae obtinebant.

Fratres ipsius pertinebant, seu pertinere poterant & debebant, Ordini dicti Hospitalis ipsique Hospitali donavit, concessit, univit, incorporavit, applicavit, & annexit in perpetuum de Apostolica plenitudine potestatis bonis illis, quae idem Ordo Templariorum, in Regnis & Terris Charissimorum in Christo Filiorum nostrorum Castellae, Aragonum, Portugalliae, & Majoricarum Regum Franciae habebat, seu possidebat, & ad eum poterant debite quomodolibet pertinere, dumtaxat exceptis, quae dictus Praedecessor certis ex causis pro parte Regum ipsorum praetensis a donatione, concessione, unione, incorporatione, & annexione praedictis exceptis, specialiter, & exclusit: ea nihilominus dispositioni, & ordinationi Apostolicae reservando: sed ne propter praetensionem causarum hujusmodi dictorum bonorum in dictis Regnis & Terris consentientium ordinatio diutius differretur, Idem Praedecessor certum terminum dictis Regibus per suas Literas peremptorium assignavit, in quo per Procuratores seu Nuntios idoneos plenum ad hoc & speciale Mandatum habentes, cum omnibus rationibus & monumentis ad causas pertinentibus memoratas apostolice se conspectui praesentarent, informati eum de veritate causarum & essentia praedictarum, ejusque super illis ordinationis beneplacitum audire.

Tandem tamen Regibus die adproferendis rationes, si quas superius habebant.

§. 2. Post haec autem Charissimus in Christo Filius noster Dionisius Portugalliae, & Algarbiorum Rex illustris propter hoc ad Praedecessoris eiusdem & subsequenter ad nostram, postquam fuimus Domino permittente ad apicem Apostolicae Dignitatis assumpti, praesentiam Nuntios suos diversis vicibus destinavit, proponi faciens diversas rationes & causas, propter quas Bona ipsa in Regnis suis consentientia uniri, & incorporari non posse memorato Ordini Hospitalis absque suo & Regnorum suorum evidenti praedicti & dispendioso periculo assererat: cuius in hac parte causis & rationibus coram Nobis & Fratribus nostris expositis diligenter auditis, post longam tamen & diutinam examinationem, quam cum dilectis Filiis Petro Petri Canonico Columbriensi, & Nobili Viro Ioanne Laurentii de Montefaratio Milite Nuntius & Procuratoribus dicti Regis ad hoc legitimum mandatum habentibus & etiam speciale, cuius mandati copiam praesentibus inseri iussimus ad cautelam, habuimus diligentem; inter alia per Procuratores eosdem exposita Nobis fuerunt graves injuriae, & innumera damna, & alia multiplicia & enormia mala non facile commemoranda praesentibus, quae hostes fidei perfidi Saraceni jam retro antiquis & continuatis successive temporibus partibus illis, quas Fideles inhabitant, hostibus eisdem, contiguas intulerunt, & inferre non cessant, qui inter caetera adhibenda remedia ad eorumdem Hostium molimina resistenda, utpote de conditionibus illarum partium plenam notitiam obtinentes, ac de ipsius Regis conscientia ad plenum instructi aperuerunt Nobis plures causas necessarias ac evidentes & probabiles rationes, quod in Castro Marino

Rationes a Nuntio Portugalliae Regis adductae.

Supplicatumque Papa, ut novam Militiam in Castro Marino contra Saracenos institueret.

Silven. Diocesis in dicto Regno Algarbii constituto, Castro utpote valido, quod inexpugnabile quodam modo reddit loci dispositio naturalis, in fronteria dictorum Hostium Fidei consistente eisque contiguo nova militia pugilum Christi, qui dimissis vanitatibus seculari Sancte Religionis spontanei professores circa zelum vere Fidei sint accensi, poterat collocari: quorum ope & prompto presidio predictis injuriis, damnis, & malis, quorum illationi fera manus hostilis jamdudum vacavit, liberius obviari salubriter poterit in futurum & via prestari facilior non solum ad resistendum hostium predictorum congressibus, sed etiam ad impetus & conatus conterendos ipsorum & propulsandum eosdem. & recuperandum partes alias intermedias per ipsorum hostium jam olim fraudolentas insidias occupatas: Exposuerunt quoque Nobis Procuratores predicti, quod occurrit acceptius votis vestris, quod idem Rex premissa comoda fidei in examen attentae considerationis inducens, tanquam Princeps Christianissimus Deo devotus dictum Castrum, ex quo sibi non parva proveniebat utilitas temporalis, ob tantum bonum eidem fidei proventurum cum mero & mixto imperio omnibusque juribus & jurisdictionibus paratus erat predictae novae militiae novi Ordinis inibi ordinandae ex sua propria munificentia donatione perpetua largiri: propter quod Procuratores predicti Nobis ex parte ipsius Regis humiliter supplicarunt, ut ejus in hac parte pio desiderio annuentes novam militiam pugilum Christi religiose viventium in dicto Castro constituere dignaremur.

Quam ordinavit Joannes.

§. 3. Nos itaque predictis causis & rationibus diligentius intellectis, easque in attentae meditationis indaginem deducentes propter securitatem Fidelium, & tutelam, plurimaque bona exinde annente Domino, proventura cum Fratribus nostris super iis diligenti deliberatione prahabita, eiusdem Regis laudabile in hac parte propositum disposuimus favorabiliter prosequendum. Propter quod de ipsorum Fratrum consilio & Apostolica plenitudine potestatis ad infrascriptam ordinationem divinum super hoc invocantes auxilium duximus procedendum. Cum enim illa feda dictorum Saracenorum natio & impia Christiani Nominis inimica in fronteria dicti Regni Algarbii contignis terminis, ut praetangitur, constituta, Regnum ipsum eiusque Fideles in summi Regis offensam per successus prohdolori retro temporum diversorum tribulationibus multis afflixerit, periculis subiecerit variis, & feritatem frequenter armaverit, sicut & armare conatur in exterminium eorumdem: Nos eidem Regi, & Regno atque fidelibus adversus eorumdem Hostium conatus nepharios deprimentos assistente Nobis divino presidio prospicere cupientes, in predicto Castro marino Domum novi Ordinis pugilum Christi providimus ordinandam.

Eiusdem Regum & Magistrum dat.

§. 4. Quam quidem Domum ipsius Ordinis caput esse decernimus, & ei Parochialem Ecclesiam Sanctae Mariae ejusdem Castrum

dictae Silven. Diocesis cum omnibus juribus & pertinentiis suis donamus, concedimus, annectimus, & unimus, ac ad honorem Dei & exaltationem Catholicae Fidei, tutelam Fidelium, & depressionem Infidelium predictorum In dicta Domo predictum Ordinem instituimus auctoritate Apostolica & etiam ordinamus; In quo prefata militia fidei Athletarum, qui ordinem proprium profiteantur sub observatione Regulae de Calatrava, ejusdem Regulae observantias servaturi idonei & in fidei soliditate praestantes debeant collocari, ut sic idem Regnum, & Fideles eo ferventius dictis Hostibus resistere valeant, quo plurium viribus conflatis in unum majori potentia fulciantur, auctoritate Apostolica de ipsorum Fratrum consilio statuente, quod Ordo predictorum militum ejusdem novae militiae Ordo militiae Jesu Christi perpetuis futuris temporibus nuncupetur, ac dilectum Filium Egidium Martini olim Magistrum Domus Ordinis militiae Calatraven. de Aviso Elboren. Diocesis eiusdem Calatraven. Ordinis Professore, de cuius vita munditia, Religionis Zelo, maturitate morum, strenuitate Persona, integritate fidei, & aliis innata sibi probitatis meritis laudabilia nobis testimonia sunt relata, eidem Ordini militiae Jesu Christi de ipsorum Fratrum consilio auctoritate predicta praeficimus in magistrum ipsum a magistro praefati Ordinis militiae Calatraven. de Aviso auctoritate praesentium absolventes, sibi que enram, gubernationem, & administrationem dicti Ordinis militiae Jesu Christi plenarie committentes, alienatione bonorum immobilium dicti novi Ordinis sibi, & suis Successoribus, & membris eius omnibus penitus interdicta, nisi in casibus a jure permittis & forma juris debita observata dilectis Filiis Fratribus dictae Domus de Aviso vel iis vel ei, ad quos, vel quem Magistri praefatae Domus electio vel provisio pertinet, eligendi sibi personam idoneam, vel providendi de persona idonea in magistrum, dantes tenore praesentium liberam facultatem:

Eidem Privilegio Militiae de Calatrava communicat.

§. 5. Dictumque Ordinis Magistrum, qui nunc, & qui pro tempore fuerit, ac Fratres ejusdem Ordinis eidem privilegiis, libertatibus, & indulgentiis gaudere volumus, quibus Magister & Fratres Calatraven. gaudent.

Dat nonnulla bona, praeter loca Templariorum.

§. 6. Cui quidem Ordini plena super hoc cum eidem Fratribus deliberatione prahabita, & de ipsorum consilio ex causa praemissa Castrum album, Langroviam Thomerium & Almoymol, nec non omnia alia Castra, Fortalitia, & bona mobilia, & immobilia universa, & singula, quaecumque, & in quibuscumque consistentia, tam Ecclesiastica, quam mundana, nec non nomina, actiones intra, iurisdictiones, Imperium merum & mixtum; honores, homines, & Vassallos quoslibet, cum Ecclesiis, Capellis, & Orationis quibuscumque, ac suis iuribus, terminis, & pertinentiis universis, quaecumque Ordo quondam Templi in praefatis Portugalis, & Algarbii Regnis tenebat, habebat, ha-

be-

Donato novo Ordine a Dione Regis Portugalis.

bere debebat: quaecumque sint, & in quibuscumque consistant, & quocumque nomine censeantur, & ad eum quocumque ratione vel causa debeant vel poterant pertinere: auctoritate predicta concedimus, donamus, unimus, incorporamus, annectimus, & in perpetuum applicamus.

§. 7. Decernentes irritum, & inane, si secus super predictis Castris, bonis, a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter attentatum forsitan est haecenus, vel contigerit imposterum attentari: dictique Procuratores procuratorio nomine dicti Regis, prout & de speciali mandato eis super hoc facta a Rege predicto poterant, donaverunt, dictum Castrum Marini pura, & irrevocabili donatione Deo, & dicto Ordini, ac nobis recipientibus pro Ordine novae Militiae Jesu Christi, & Magistro predictis cum omni iurisdictione, mero & mixto imperio, omnibus Vassallis, hominibus, fidelitatis, seu alterius juramenti praestationibus, juribus, & pertinentiis universis, quaecumque sint, & in quibuscumque consistant, & quocumque nomine censeantur: & cum pleno ac libero, & integro exercitio eorumdem, & quidquid juris in proprietate, dominio, seu possessione, vel quasi Jurepatronatus, iurisdictione, mero, & mixto Imperio, hominibus, vassallis, hominibus, fidelitatis seu alterius juramenti praestationibus, honoribus, hominibus, actionibus, seu alias quovis modo eidem Regi in predictis Castris nominatis & aliis Castris, Terris, & locis non expressis, Fortalitiis, & Bonis cum terminis, & pertinentiis suis: quae predictus Ordo quondam Templi tempore dictae captivis Magistris, & Fratrum predictorum tenebat, habebat, vel habere debebat, quaecumque sint, & in quibuscumque consistant, & quocumque nomine censeantur: & ad eum quocumque ratione, vel causa debeant, seu poterant pertinere in Regnis, & Terris Regis ejusdem dictus Rex habebat, vel ad eum in eisdem possit quomodolibet pertinere, eidem novo Ordini Militiae Jesu Christi in nostra, & dictorum Fratrum praesentia concesserunt, dederunt, & donaverunt libere, munifice, pure, simpliciter, & irrevocabiliter inter vivos promittentes procuratorio nomine dicti Regis, prout similiter in mandatis habebant, quod idem Rex postquam ad eum praemissa pervenerint quamprimum commode poterit, dictum Castrum Marinum, nec non universa Castra, Fortalitia, Terras, Loca, bona, & jura predicta praefatis Magistro, & Fratribus ejusdem novi Ordinis faciet tradi, & assignare integraliter cum effectu, ipsosque dictorum Castrorum, Terrarum, Locorum, bonorum, iurisdictionis, meri & mixti Imperii, & aliorum juriurum predictorum plena, & pacifica possessione, & quasi gaudere, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem, eisque de ipsorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus, & aliis universis integre responderi.

Abbas Monasterii de Alcobatia per-

§. 8. In predicto autem Ordine per nos, ut praemittitur, noviter instituto dilectus Fi-

lius Abbas Monasterii de Alcobatia Citeriensi. Ordinis Ulixbonen. Diocesis, qui est, & erit pro tempore, visitationis, & correctionis officium tam in capite, quam in membris quoriam expedierit, debet exhibere, corrigens, & reformans in eo futuris temporibus, quae correctionis, & reformationis auxilio indigere prospexerit: contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

§. 9. Volumus insuper quod praefatus Abbas, qui est, & pro tempore fuerit, vel ejus Locumtenens, vel loco vacante Administrator Monasterii a dicto Magistro novi Ordinis Militiae Jesu Christi, qui est, & successoribus ejus, qui pro tempore fuerint, juramentum fidelitatis nomine nostro, & Romanae Ecclesiae recipere debeat sub forma infra scripta, quotiens in eodem novo Ordine Magister aliquis assumetur: dictusque Abbas formam juramenti praedicti, quod dictus Magister praestabit, quamcunq; comode poterit, Sedi Apostolicae destinare procuret: dictoque juramento praestito, ac nihilominus postea pro plena securitate ipsorum Regis, & Regnorum Portugalis, & Algarbii, & ad propellenda imminencia sibi quoque pericula, quod praefatus Magister dicti Ordinis Militiae Jesu Christi, & Successores sui Magistri novi Ordinis memorati, qui erunt pro tempore, vel dictis Magistris absentibus eorum loca tenentes, antequam administrationi hujusmodi bonorum se ingerant, coram dicto Rege, qui nunc est, vel pro tempore fuerit, si Regem ipsum tunc in aliquo dictorum Regnorum Portugalis, seu Algarbii fore contigerit, personaliter se praesentent, eique praesentent juramentum personale, & homagium faciant sub hac forma, videlicet: quod ipse Magister fidelis erit dicto Regi, & per se vel alium nunquam aliquid faciet vel procurabit vel fieri seu procurari consentiet publice, vel occulte, propter quod eidem Regi, & suis vel Regnis, aut Terris ejus aliquid damnnum valeat, evenire: quod si forte sciret aliquid procurari, vel fieri quod in damnnum dicti Regis aut Regnorum, & Terrarum ipsius esset vel cedere possit, id eidem Regi, quam cito poterit, intimabit, vel faciet intimari: & nihilominus impedit juxta posse: quodque de Castris, Villis, locis, & bonis, & juribus ac hominibus, quae dictus novus Ordo Militiae Jesu Christi habet ad praesens, vel habebit imposterum in Regnis, & Terris praedictis, nunquam dicto Regi, vel Regnis, ac Terris, vel subditis suis eodem magistro sciente, volente, mandante, aut ratum habente, aliquid damnnum eveniat in futurum: quod si forte sciverit vel senserit, totis impedit viribus, & quantum in eo fuerit, amovebit: Juramentum vero, & homagium supra dicta per dictum Magistrum non ratione dictorum Bonorum, sed ratione personae praestantis Regi praestari, & fieri volumus supra dicto: nullumque ipsi Regi ex juramento, vel homagio saepedictis in bonis eisdem quodlibet jus acquiri.

AN. CH. 1319. peneus Ordinis huius Visitaror.

Juramentum a Magistro novi Ordinis S.A. praestandum.

Forma juramenti ab eodem praestandi Regi Portugalis tempore belli.

Que